Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

antequam excommunicentur. laicis dandis iuxta quod in libris diversorum inve-
nitur. hic breviter annotatur. Hic autem ordo in predictis rebus habendus est ut primum mon-
stretur quid vocetur immunitas. deinde quid sit sacrilegium. quidque utriusque commendatio.
Post hec autem que sint singulorum graduum compositiones. et quando eedem compositiones
de singulis gradibus simpliciter vel tripliciter. tam secundum mundanam legem quam et divi-
nam sanctionem solvi debeant. demum vero que inducie laicis dande sint. ante
quam pro facto aliquo excommunicentur: Quid sit inmunitas.

Quid autem sit immunitas. quantumque pro illa fracta solvi oporteat. ex capi-
tulari evidenter ostenditur capitulo. CCLXXVIIII his verbis. Pervenit ad nos
quod quedam ecclesie et monasteria nostras et predecessorum nostrorum immunitates habentia
multa preiudicia et infestationes a quibusdam patiantur. et nec per easdem immunita-
tes ullam defensionis tuicionem habere valeant propter hoc quod ab eisdem im-
munitatis violatoribus dicatur non plus immunitatis nomine complecti quam
claustra monasterii. cetera quoque quamvis ad easdem ecclesias pertineant. extra immu-
nitatem esse. Propterea hoc volumus atque decernimus. ut omnes intelligant. non solum clau-
stra monasterii. vel ecclesie atque castricia ecclesie sub immunitatis defensio-
ne consistere. verum etiam domos et villas. et septa villarum et piscatoria manufacta. et quecumque
fossis ac sepibus. verum etiam clausularum genere precinguntur. eodem immunitatis nomine contineri.
et quecumque intra huiusmodi munimenta ad ius earundem vel monasteria pertinentia. a quolibet
homine nocendi vel dampnum inferendi causa spontanea voluntate committuntur. in
hoc facto immunitas fracta iudicatur. Si vero in agris et in campis et in silvis que sine laboratio-
nibus sunt et nullo modo munitionibus cinguntur. sic casu fieri solet a quolibet hominibus
aliquod dampnum factum fuerit quamvis idem ager aut campus aut silva ad ecclesiam vel monasterium
preceptum immunitatis habens pertineat. non tamen in hoc immunitas fracta iudicanda est.
et ideo non sexcentorum solidorum compositione. sed secundum legem quae in eodem loco tenetur is multandus est
qui scandalum vel dampnum in tali loco fecerit. Perspicuum igitur est ex precedenti capitulo omnia lo-
ca que ad quamlibet ecclesiam pertinentia aliquo genere clausularum cinguntur.
immunitatem recte vocari. ideo quecumque huiusmodi continentur firmiter munita
esse edictis regum precipiuntur. Patet etiam ex eodem violate immunitatis precium
esse sexcentorum solidorum. quod idem tamen in alio Karoli capitulo manifestius invenitur.
Si quis in immunitate dampnum aliquod fecerit. DC solidos componat. Inmunita-
Satisfactio autem penitentie quam temerator immunitatis tis compositio.